

† R. P. Alfonsus Maria George (1844–1932)

(*Prov. Paris.*)

Die 29 Aug. 1932 Lutetiae Parisiorum in pace Christi obdormivit R. P. Alfonsus M. George, natus annos 88, menses 5, ab omnibus veneratus ut Provinciae Patriarcha, exemplar Redemptoristae soli Deo animabusque viventis ac missionarii spiritu S. Alfonsi repleti. Eius longum ac fecundum cursum terrestrem hic breviter complectimur, quoad cetera remittentes ad longiorem et perpulchram vitam, quam Chronista Provinciae Parisiensis R. P. E. Gautron nuperime evulgavit.



R. P. George natus est d. 5 Mai 1844 in Neuveville-lès-Raon (*Vosges*). Inde a prima aetatula imbutus erat tenera devotione erga S. Alfonsum, baptismi patronum, et vix huius gloriosi Sancti filios cognoverat, cum sese fortiter ad eos attractum sensit. Ligorianum vero vexillum sibi in perpetuum elegit tempore sacri secessus, quem R. P. Desurmont in Seminario maiore dioecesis S. Deodati (*Saint-Dié*) moderabatur.

Die 6 Sept. 1866 novitiatum S. Nicolai a Portu ingressus est, et cum eodem anno Pii IX liberalitate sacra Imago de Perpetuo Succursu nobis donata esset, P. George etiam hac circumstantia impellebatur ad talem cultum per totam vitam singulari studio propagandum.

Illo tempore P. Desurmont, nuper Provincialis constitutus, cum universam Provinciam illius zeli plane Alfonsiani, quo ipse inflammabatur, faciebat participem, tum praesertim iuvenem P. George sui admiratorem ac fidelem sectatorem accepit. Quondam lepido suo more: «Hominum (inquit) intelligens aestimator sum, et meus Georgius, mihi credite, eorum unus est!» Per aliquod tempus eum in domo Avon suum fecit secretarium; verum inde ex a. 1875 eum in apostolatus nostri campum misit, in quo P. George dein tanta fortitudine per 57 annos praelia Domini prae-liabatur.

Adscriptus primum domui Parisiensi, tum recens conditae, iuvenis missionarius audax consilium cepit in ipsa Galliae urbe principe, ubi vel penes parochos nomen missionis iam diu ingratum evaserat, veras missiones Alfonsianas praedicandi. Tenaci operositate omnia impedimenta et praecidua vincens, id assecutus est, ut in multis ecclesiis urbis ac suburbii a nostris missiones iuxta praescripta S. Fundatoris eximio cum fructu ha-

berentur, et deinceps etiam in aliis urbibus episcopalibus. Ita Patri George magnam partem debetur, quod quotannis tempore Quadragesimae omnes Provinciae Patres haud plane impediti ad hanc operam apostolicam convocare necesse est.

Anno 1880 P. George a supremo Instituto Moderatore communitati Parisiensi praeficitur, et per 39 annos continuos superioratus onera portat, quo in munere adversitates, saltem externae, Rectori non desunt. Ita statim primo anno P. George cum confratribus vi legum iniquarum residentia sua *Ménilmontant* expellitur. — Anno 1883 mittitur Visitator extraordinarius in longinquam Vice-Provinciam Pacifici. Deinde per quinque triennia Rectoris munere magna cum laude fungitur per vices in studiorum domo Stratum et iterum Parisiis et Argentomi et Bononiae ad Mare, ubi ruinas persecutione effectas reparat.

Anno 1898 Sabuletis Olonensibus novam foundationem iubetur incipere, eamque triennio absoluto florentem vegetamque relinquit. Tunc tertium Parisiensem domum regendam suscipit, eo ipso tempore, quo nova eaque vehementior religiosorum persecutio furit. Die 23 Iun. 1903 nobis aufertur perpulchra ecclesia paulo ante a nostro Fr. Gerardo Knockaert in Matris de Perpetuo Succursu honorem exaedificata¹. Anno insequenti (10 Maii) communitas manu militari domo sua pellitur. Etiam piaee associationes nostrae, saltem ex parte, ab inimicis religionis solvuntur.

P. George, qui inde ex a. 1901 usque ad mortem Parisiis domicilium suum retinet, statim confratribus dispersis refugia quaerit et inter eos observantiae regularis spiritum naviter tuetur. Sodalitas Dominae N. a Succursu Perpetuo, ipsi prae ceteris cara, ad tempus congregatur in ecclesiam paroecialem S. Ambrosii. Apostolicum ministerium foris manet immutatum. P. Rector subditos suos quaquaversus emittit, neque ipse sibi ullo modo parcat. Mirantur omnes, quod hic vir apostolicus, reliqua sua officia prorsus non negligens, usque ad a. 1930 praedicavit 398 missiones et aliquot cursus contionum quadragesimalium, 95 cursus exercitiorum spiritualium ad sacerdotes, 398 cursus ad religiosos, 397 ad coetus alios, 50 tridua aut menses Marianos, 2180 sermones pro variis adiunctis. Postea quoque, licet senex 86 annorum, laborare pergit, addens uberrimae messi anteriori 28 sacros secessus, 13 tridua, amplius 50 conferentias.

Quot peccatores hic genuinus S. Alfonsi filius, animarum zelo flagrans, ad salutis tramitem reduxerit, Deus solus scit. Idem magna gaudebat auctoritate penes animas perfectionis acquirendae studiosas, quarum paene innumeras dirigebat plurimasque ad claustra adduxit. Uti obvium, Moniales a SS. Redemptore singulari modo eius favore paterno fruebantur. Anno 1904 P. George primarias partes habuit in condendo prope Matritum (*Ca-*

¹ Cfr. *Analecta* IX (1930), 162 sq.

rabanchel Alto) primo coenobio Redemptoristarum Hispanicarum. Insuper duarum Monialium asceterii Gratianopolitani vitas publici iuris fecit.

Quoniam eximiae defuncti confratris dotes Romae quoque notae erant, S. Sedes eum inde ex a. 1914 ad gerenda varia officia multam prudentiam postulanti selegit, velut Visitoris et Superioris Monialium a Monte Carmelo urbis Pontoise, Visitoris Apostolici Congregationis *Auxiliatrices du Purgatoire* atque Instituti Boni Salvatoris *de Caen*, quibus officiis gravibus P. George magna cum religione, Augusto Mandanti bene probatus, satisfecit.

Easdem virtutes prudentiae, fortitudinis, pietatis, bonitatis comitatisque P. George ubique manifestabat. Nec silentio praetereundum eius studium observantiae regularis et vitae vere Redemptoristicae. Domi vivebat « dies plenos », vix sex horas dedicans somno, septem vero cum dimidia exercitiis pietatis, octo labori. Amantissimus « vitae familiae », qualem P. Desurmont eam intelligebat, in communibus recreationibus volebat hilaritatem, ingenuam cordium effusionem caritatisque vere fraternae manifestationem. Ceterum virtus non est, cuius praeclara exempla P. George nobis non reliquerit. Pietas eius simplex ac virilis, praesertim versus finem vitae, assumpsit indolem intimae unionis cum Corde Iesu Eucharistico. Ut in notulis suis privatis scribit, sibi proposuerat « amare Iesum sine mensura; ei soli placere, et tantum quidem, quantum fieri possit; non vivere nisi amore ».

Die 13 Iul. 1932, redux ex itinere valde arduo, ratione officii suscepto, in morbum gravem renium incidit, quo post sex hebdomades, in plena cum divino beneplacito conformitate transactas, et post brevissimam agoniam vespere diei 29 Augusti absumptus est, assistentibus sibi Pl. R. P. Provinciali L. Quittelier et Rectore ac Ministro collegii Parisiensis.

Funerum sollemnia demonstrarunt, quantum venerationis et amoris R. P. George longa sua vita sibi conciliavisset. Em̄us Card. Verdier suum Auxiliarem Em̄um D. Crépin miserat suas vices gerentem. Aderant quoque numerosi sacerdotes ac familiarum religiosarum repraesentantes et piorum fidelium multitudo.

In fine testamenti sui desideratissimus P. George haec verba pulcherrima scripsit: « In caelo etiam plus amabo Congregationem illam, quam tantopere in vita amavi ». Sit autem praecipuus huius amoris intercessionisque caelestis effectus in nostra familia conservatio illius spiritus Alfonsiani, quem P. George a P. Desurmont (cuius etiam biographus fuit) receperat et per diuturnae vitae cursum semper singulariter manifestavit. Provincia Parisiensis, quae prae ceteris tanti viri zelo fruita est, gratam eius memoriam servabit in perpetuum.